



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quid sit Scriptura Sacra?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

nec vocum diversitas harmoniam confundit, sed mirè servat, & eleganter concinnat; imò ex vocatione varietate concors discordia modulatè conflatur: sic in Evangelicæ veritatis & doctrinæ concentu, licet variæ sint Doctrinæ & Prædicatorum linguæ, unus tamen est fidei, & veritatis Spiritus; ideoque licet sub varijs & dispersis linguis Spiritus Sanctus apparuerit, unus tamen ignis supra singulos sedit.

Ab hac doctrinæ concordia omnes aliæ sectæ longissimè recedunt: Plus (inquit Tertullianus lib. 2. de anima cap. 2.) *diversitatis invenies inter Philosophos, quàm societatis, cum & in ipsa societate diversitas deprehendatur.* In eadem civitate Atheniensis, alij alia, & diversi diversa fenserunt. Epicuræi Divinam Providentiam negarunt, Stoici asseruerunt. Aristippus in voluptate corporis summum bonum collocavit. Anthyllenes in virtute animi constituit. Imò Augustinus 19. de civit. cap. 1. refert ex Marco Varrone ducentas octoginta de summo bono sententias. Item alij unum mūdum adstruebant, alij plures, alij innumerabiles, ut non immeritò illa urbs, Babylon, id est confusio, potuerit appellari, in qua nihil haberetur firmum, sed omnia contrarijs inter se erroribus distraherentur.

Nec minori discordiâ, & sententiarum, seu errorum contrarietate, inter se dividuntur hæretici, ut in antiquis notarunt Irenæus lib. 1. cap. 5. Tertullianus lib. de præscript. cap. 42. Athanasius Epist. ad Liberium, & Epiphanius hæresi 47. In recentibus autem notum est quàm multæ sectæ ex hæresi Lutheri pullulaverint, & quàm parùm coherentes loquantur in multis. Omitto innumeras Calvinistarum discordias, quas Feu-ardentius, libro cui titulus est idioma Gallico, *Entremangeries des Ministres*, fuse descripsit. Tantùm dicam, non mirum esse quod à se invicem illi dissentiant, quicum semetipsis pacem & concordiam habere nequeunt. Cocleus enim in opere inscripto, *Lutherus septiceps*, varias Lutheri à seipso dissensiones & contradictiones in omnibus ferè fidei capitibus refert; & in solo Eucharistiæ articulo triginta sex à Gasparo Saxone in tabula contra Lutherum notatæ sunt; ut certè eum spiritu vertiginis, adinstar Babylonice turris ædificatorum, actum fuisse, evidenter appareat. Coccus viginti quatuor antilogias Calvinii refert: & Nicolaus Romeus in libro qui inscribitur, *Calvini effigies*, spectaculo 9. & 10. quorum titulus, *Calvinus sibi discolor*, ostendit librum institutionum Calvinii esse centonem contradictionum, & numerat viginti primarias, & plusquam sexcentas consecutivas. Addit Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus, in Tractatu de fide, quæst. 1. Calvinii institutiones nunquam fuisse reculas, quin pleraque, & quidem maximi momenti, vel ab ipso cum viveret, vel à Ministris post ejus mortem, mutata sint, ut in articulo de causa peccati: in prioribus quippe editionibus, clarè & distinctè Deum peccatorum, non tantùm secundum substantiam, sed etiam secundum malitiam & deformitatem, autorem statuit; in posterioribus verò, etsi rem ipsam retineat, mollioribus tamen verbis, & aliquo pacto ambiguis, ad evadendum utitur.

Ratio autem hujus inconstantie est, quia hæresis non in divino spiritu, sed in humano fundatur, qui varijs & inconstans est, nec semper sibi coheret. Unde egregiè Dionys. cap. 14. de divin. nomin. *Vera sapientia est à multis opinionibus*

convertens, & ad unam, veram, & uniformem congregans cognitionem, & uno univoco lumine complens. Quæ verba exponens D. Thomas ibidem lect. 4. subdit: *Illi qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia: Sed illi qui ignorant, dividuntur per varios errores.* Variæ enim sunt mendaciæ falsitatisque semitæ, cum una tantùm sit via, quæ ad veritatis & sapientiæ palatium ducit, & ut egregiè Tertullianus ait: *Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplina plenitudo, & equalitas timoris, & fides obsequij, non mutare sententiam, non variare judicium.*

B *DISPUTATIO II.*

De Scriptura, & Traditione.

Explicato objecto fidei, agendum est de regulis quibus illud infallibiliter proponitur, ex quibus duæ sunt inanimatæ, quæ sensum suum vivâ voce explicare non possunt, nempe Scriptura & Traditio, de quibus in hac disputatione breviter differemus: tres verò animatæ & loquentes, nimirum Ecclesia, Summus Pontifex, & Concilium, de quibus paulo fusiùs agemus in sequentibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum Scriptura Sacra sit infallibilis regula fidei?

Priusquam resolvamus hanc quæstionem, pauca de Scriptura Sacra, ejusque dignitate, utilitate, divisione, nec non de varijs ejus versionibus, præmittenda esse censuimus. De quaduplici autem ejus sensu egimus in disputatione præliminari ad totam Theologiam, art. 9. ad quem locum Lectorem remittimus.

§. I.

Quid sit Scriptura Sacra?

Scripturæ Sacræ nomine intelligitur Scriptura, instinctu & motione Spiritus Sancti scripta, non modò sensum, sed etiam verba dictantis, juxta illud 1. Petri 1. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Et 2. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum.* Unde per hoc differt Scriptura Sacra, à definitionibus Conciliorum, vel Summorum Pontificum, quod ista dictantur quidem à Spiritu Sancto quoad sensum, quando sunt definitiones de rebus fidei, non tamen quoad verba; Scriptura verò Sacra, quoad utrumque, à Spiritu Sancto dictata est. Quare frequenter legimus in Scriptura, Prophetas testari Dominum fuisse ad illos locutum: *Isaïa 5. Hæc dicit Dominus exercituum: Jonæ 1. Factum est verbum Domini ad Jonam, & Jeremiæ 36. interrogantibus primatibus Hebræorum, quomodo ex Jeremiæ ore Baruch descripsisset sermones illos, respondit: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones*

istos, & ego scribebam in volumine, atramento. Hinc etiam Psal. 44. lingua Sacri Scriptoris appellatur *calamus Scribae velociter scribentis*, quia nimirum, sicut lingua non eloquitur, & calamus non scribit, nisi verba prius in mente loquentis aut scribentis concepta, & ab ea suggesta & dictata: sic verba ipsa quæ scribuntur à Scriptore Canonico, dictantur à Spiritu Sancto. Hinc demum Gregorius lib. 3. Epist. 40. *Quid est (inquit) Scriptura, nisi quadam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Et in proemio Moralium: *Ipse ergo hæc scripsit, qui hæc scribenda distavit.*

2. Aliqui tamen existimant non omnia & singula Scripturæ verba dictari specialiter à Spiritu Sancto, sed cum de rebus sensui notis & familiaribus sermo est, permitti ut Scriptor Canonicus ea verbis suis scribat, cum speciali tamen assistentia Spiritus Sancti, ut nihil falsum aut indecens loquatur. Ita docent Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ hæresi 12. Melchior Cano lib. 2. de locis cap. 18. Andreas Vega lib. 15. in Trident. cap. 17. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 15. Andreas Duvalius hæc quæst. 1. de objecto fidei, Gravina lib. 4. de verbo Dei scripto contrav. 1. art. 2. & alij. Ratio etiam id suadet, nam in divinis Scripturis multæ res & verba continentur, quæ Scriptoris Sacris naturaliter nota & manifesta fuerunt, ut cum v. g. Apostolus scripsit in suis Epistolis: *Lucas est mecum solus, Trophimum reliqui infirmum, salutant vos tales &c.* Ergo non fuit opus ut Spiritus Sanctus propositiones illas, aut verba hæc materialia, ad eas vel similes exprimendas necessaria, in mentibus Scriptorum efformaret. Nam sicut in necessariis Deus deesse non solet, ita nec in superfluis redundare: superfluum autem fuisset de novo infundere supernaturaliter, quod jam naturali notitiâ satis cognitum atque perspectum Sacris Scripturis erat.

Addo quod Author Ecclesiastici, in prologo, veniam petit, si alicubi in verborum compositione deficiat, quod etiam facit Author libri 2. Machabæorum cap. 15. in fine: ex quo non leve argumentum sumitur, Spiritum Sanctum omnia & singula verba Sacris illis Scripturis non suppeditalisse, sed permisisse, ut aliqua verbis suis, suoque stylo scriberent.

§. II.

De nominibus & elogijs quibus Scriptura Sacra communiter insignitur.

3. Vatrijs solet nominibus Scriptura Sacra insigniri. In primis per excellentiam *Scripturæ* appellatur: tum quia ea penè sola digna est quæ legatur aut scribatur; tum etiam, quia ea sola spiritu Dei conscripta est. Item vocatur antonomastice *Biblia*, id est libri, quia omne genus librorum humanorum, omnesque eorum Bibliothecas, longè superat sacrum volumen, quo omnis utriusque testamenti continetur Scriptura. Dicitur insuper *verbum* seu *eloquium Dei*, quia Deus per illam, tanquam per oraculum certissimum, nos alloquitur, mentem suam aperit, & de suarum promissionum infallibilitate certos nos reddit. Nuncupatur etiam *testamentum Dei*, duplici ratione. Prima, quod quemadmodum testamentum, carta est scripta, in qua declaratur ultima voluntas hominis; sic in Sacra Scriptura continetur ultima Dei voluntas, & lex quam Deus vult ab hominibus servari. Secunda, quod

A testamentum est, quo bonorum defertur hæreditas, intercedente testatoris morte, quâ contingente, cum esset antea clausum & obsignatum, aperitur: sic enim per libros sacros defertur nobis hæreditas cælestis, & Christi morte in ea confirmamur, ipsique apertis, legimus in eis nos esse Dei hæredes, ac cohæredes Christi, si cum eo sustineamus, ejusque mandata observemus. Demum Scripturæ, *libri Sancti* appellantur, 1. Machab. 12. *Habentes solatio libros sanctos*, non solum propter sanctitatem Authorum, qui omnes, excepto Salomone, creduntur sancti; sed etiam & multò magis propter sanctificationem, quam animis legentium, per modum objecti ingenerant, vel quia nullum ne levissimum quidem errorem aut mendacium admittunt.

B Varia etiam leguntur apud Sanctos Patres Scripturæ Sacre elogia, quibus ejus dignitatem & utilitatem mirum in modum commendant: Augustinus enim lib. 2. de doctrina Christiana hæc scribit: *Quantum minor est auri, argenti, vestisque copia, quam de Aegypto secum Hebraeus populus abstulit, præ divinis, quas postea Hierosolyme, maxime sub Salomone consecutus est; tanta est cuncta scientia, etiam utilis, collecta de libris gentium, si divinarum Scripturarum scientia comparetur. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; & cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantius inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Nihil in illis est (subdit Hieronymus) quod non luceat, & splendore suo mundum illuminet, ut etiam quæ parva putantur, Spiritus Sancti fulgeant majestate. Et in prologo super Psalmos: In Scriptura (inquit) habet infans quid lætetur, puer quid laudet, adulescens quid corrigat, juvenis quid sequatur, senior quid præceat. Hinc discant femina pudicitiam, populi inveniant pietatem, vidue iudicem, pauperes protectorem, advena custodem. Hic Reges inveniant quid audiant, iudices quid timeant. Hæc tristitem consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, & omnibus apta medicamenta tribuit. In Scriptura (ait Hugo Victorinus) quidquid docetur, veritas; quidquid precipitur, bonitas; quidquid promittitur, felicitas est. Nam Deus est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria. Merito etiam D. Basilii Scripturam officinæ instructissimæ comparat, quæ omnia & omnis generis pharmaca quibusve morbis suppeditat: ita nimirum ut ex ea Ecclesia, dum tempora erant Martyrum, hauserit constantiam suam & fortitudinem; dum tempora Doctorem, sapientie lumina, flumina eloquentiæ; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, errorum everfionem: in prosperis ex ea didicerit humilitatem & modestiam; in adversis magnanimitatem; in tempore fervorem & diligentiam. Præclare etiam S. Gregorius, explicans illud Job, *Habet argentum venarum suarum principium: Argentum* (inquit) est eloquij vel sapientiæ claritas; *vena Sacra Scriptura*: ac si aperiri dicat: *Qui ad veram prædicationis verba se preparat, necesse est ut causarum origines à sacris paginis sumat; ut omne quod loquitur, ad divine auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis sue firmet.* Demum in libro de speculo Monachorum plura habentur Scripturæ Sacre elogia: illa enim dicitur*